*Q. D. B. V.*

BREVIS COMMENTATIO

DE

# SANGVINIS MISSIONE

EIVSQVE

# VTILITATE

## IN MORBIS INFANTVM ACVTIS

PVBLICIS PRAELECTIONIBVS
DIVINO BENEFICIO AVSPICANDIS
PRAEMISSA
AD QVAS
NOBILISSIMOS ARTIS MEDICAE CVLTORES
QVA PAR EST RATIONE
INVITAT

EMANVEL CHRISTIANVS LOEBERVS
PROFESSOR MEDICINAE EXTRAORDINARIVS.

IENAE
AERE WERTHERIANO.

9

## §. I.

Venae ſectionem certiſſimum acutiſſimorum morborum ſemper extitiſſe remedium, [a] eiusque vſum rite adhibitum etiam grauiſſimis malis inſigne adtuliſſe leuamen, quotidiana medicorum experientia ſatis confirmat. Largam [b] quippe venae ſectionem acerbiſſimum inflammationum dolorem, vt incipientis phrenitidis, anginae, pleuritidis, nephritidis & reliquarum phlegmonarum illico lenire poſſe [c], multosque miſere decumbentes ex ea, conuenienti tempore inſtituta, magnum cepiſſe adiumentum, eſt notiſſimum. Ars ſalutaris inualeſcentem ac exorbitantem febrium acutarum vehementiam ope venae ſectionis et aliorum medicamentorum antipyicorum cohibere omni tempore nouit. Adeo, vt hac ratione obſtructiones viſcerum, eorum inflammationes, ſuppurationes, gangraenae & alia grauiora mala partim praecaueantur, partim penitus depellantur. [d]

a *Galenus de venae ſectione aduerſus Eraſiſtratum*, de V. S. inquit, praeſentaneo vnicoque remedio, quod apud veteres fuit maximi ponderis, de illo obiter ſermonem fecit, inflammationes per inediam eſſe curandas, proponit: miror ſane, quod, hoc auxilio expeditiſſimo omiſſo, ad tardiſſimum minimeque tutum confugiat. In inflammationibus euacuatio facillima atque promptiſſima venae ſectione perficitur, vtpote per quam ipſas phlegmonas cito curare poſſumus.

b *Galenus de curandi ratione per miſſionem ſanguinis*, ait: In ebullitione ſanguinis acutiſſimam febrem accendente, ſubito ac ſimul

mul vacuare expedit, antequam in principem aliquam partem ſanguis ingruat, immo ad animi vsque deliquium. Porro inquit: Memini enim, quibusdam ad ſex vsque libras ſanguinem fuiſſe detractum, ita ut febris protinus extingueretur citra vllam virium iacturam. Sic *Galenus* in oculorum inflammatione et fluxione tres ſanguinis libras primo detraxit & ad horam quartam libram unam, et ocyſſime aegrum in ſanitatem reſtituit. *Io. Franc. Rota de natura vulnerum*, dicit: ſi dolor acutus fuerit, ad animi vsque defectionem ſanguis eſt detrahendus. p. 57.

*Hippocrates* in morbis acutis ſanguinem detrahere iubet, ſi vehemens fuerit morbus. *Boerhaaue aphor.* 781. in phrenitidis curatione 1. ſuadet venae ſectionem largam, per amplum vulnus, aut plures venas ſimul, in pede, iugulo, fronte inſtituendam. Ita *Aretaeus* L. 5. c. 1. *de phrenitide.*

*Aph.* 809. in anginae reſolutione. Itaque 1. cita, magna, repetita miſſio ſanguinis, eousque vt debilitas, pallor, refrigeratio, vaſorum collapſus, doceant vim ſuperſtitis non poſſe augere tumorem et rigiditatem vaſculorum, exercenda erit. *Aretaeus* l. c. c. 7. de anginae curatione. Huic quam celerrime occurrendum eſt, nam et hac celerrime aegroti rapiuntur. Scindere cubiti venam expediet: et latior ſectio, quo maiore cum impetu, copioſiorque ſanguis emanet, facienda eſt.

*Aphor.* 890. Sine alio morbo ſanatur pleuritis hac imprimis methodo, ſi recens ante tertium diem finitum etc. tum 1. cita, larga, accelerato fluxu celeris, ex magno vaſe, per magnum vulnus, miſſio ſanguinis inſtituenda, corpore quieſcente, ſupino, et reſpiratione, dum fluit, tuſſi ſuſpiriisque accelerata, loco affecto eodem tempore foto, et leniter perfricto; debet continuari in remiſſionem ſatis notabilem doloris, vel ad prima ſigna deliquii animi; debet repeti ex conſideratione redeuntium denuo ſymptomatum, ad quæ tollenda prima inſtituta fuit; cruſta abſens finem definit. *Aretaeus* l. c. c. 10. Citiſſime ſuccurrendum eſt, et circa eodem potiſſimum die vena caedenda eſt. *Baglivius* dicit, phlebotomia eſt princeps remedium in pleuritide. In hac inflammatione *Sydenham* ſanguinem ad vncias decem mittit, et venae ſectionem ad tres alias vices ad eandem quantitatem, quatuor diebus continuis, vbi dolor & reſpirandi difficultas ſuadent, repetit. Ita quoque ratio medendi in reliquis corporis affectibus acutis erit dirigenda, vt *Sydenham*, *Boerhaaue* & alii experientia docuerunt.

a *Sydenham de febribus* p. 62. Mihi ſolenne eſt, eam duntaxat ſanguinis quantitatem detrahere, quantum coniicere liceat, quae aegrum ab incommodis obnoxium, incolumemque praeſtat. *Boerhaaue Aphor.* 620. Imprimis conferatur hiſtoria inflammationum *Aphor.* 370. & ſequent.

§. II.

Propterea celeberrimi medicorum in ſuis monumentis publice fatentur, plures morbos ſine phlebotome inſanabiles eſſe. [a] In vehementioribus itaque morbis miſſio ſanguinis eſt valde neceſſaria, alias enim illi vix ac ne vix quidem ſuperantur. Certe miſericordia omnipotentis Dei erga genus humanum ſemper laudanda atque adoranda eſt, quod in temporibus praegreſſis, et in hoc potiſſimum, quo iam viuimus ſeculo, tot tantosque excitauerit medicos, qui phlebotomiae in morbis exanthematicis adhibendae vtilitatem ac neceſſitatem tam theoretice quam practice feliciſſimo cum ſucceſſu demonſtrauerunt. [b] Nam V. S. & curatio antiphlogiſtica, in febribus contagioſis ab initio inſtituta, violentiam morborum mirum in modum temperant atque imminuunt, vt dein aegri facile ac ſine detrimento corporis iſtos morbos perferre valeant.

a Praeſertim *Bartholomaei de Moor oratio de hypotheſibus medicis* habita Groningae 1706. eſt legenda.

b *Io. Baptiſtae Minadoi diſputatio de ratione mittendi ſanguinis in febribus malignis, etiamnum apparentibus exanthematibus conſulenda eſt.* Hic ex Hippocrate et Galeno demonſtrauit, in petechiis et exanthematis ſymptomatice expulſis, venae ſectionem mirum in modum conferre, quia materia protinus ea extraducenda et euacuanda eſt. Hinc, inquit, cumque haec ſponte „ prodeuntia ſint inutilia et male excreta, cohibere oportet, c. 20. „ Porro inquit c. 21. - - - Verum (vt ingenue fatear) toto meae vitae „ decurſu, nunquam vidi, et rariſſime, his efflorentiis liberatos, niſi „ iſtis, videlicet ſanguis e naribus erumpens, vel copioſa alui ſo- „ lutio, vel interdum opportuni ſudores, vel adiuti aliquo vacua- „ tionis praeſidio, ſanguinis miſſione, omnes alii ad vnum interi- „ re. Et ego curaui 1570. aegros 150. vna aeſtate, quibus miſſus „

„ fuit ſanguis, etiam apparentibus illis puſtulis, etiam poſt ſepti-
„ mam, modice tamen, citra aegrorum moleſtiam et bis et ſemel
„ ſecta vena, liberati fuerunt: et credo decem tantum interiiſſe:
„ quibus, multis aliis impedimentis, quod non potuit mitti ſanguis,
„ mortui ſunt. - - - Non talis operatio naturae expectanda eſt, vt
„ longo vſu vidi: ſed praeoccupare, et leuare et exonerare na-
„ turam ſanguinis miſſione ipſis etiam apparentibus. Ex
„ quo putredo inhibetur, obſtructiones reſerantur, & expurgan-
„ tur, quod corruptum eſt, et naturae valde alienum educet, leua-
„ bit naturam & exonerat. *Ioachimus Burſerus de febre pete-chiali* c. VI. Poſtridie celebranda eſt venae ſectio plethoricis, quam maxime neceſſaria, ideoque reiteranda, quantumuis apparentibus maculis; aliis etiam proficua, & nulli fere negligenda. Sinaturque fluere aliqua ſanguinis quantitas, ne fruſtra hoc remedii genus, quod alias multi auerſantur, adhibuiſſe videaris; et quidem iacente aegro. Cheirurgi ſaepe ex imperitia quemuis promiſcue protinus e lecto in ſellam rapiendum volunt, poſteaque vix tres cruoris guttulas extrahere audent. *Caſp. Brauo de ſangu. miſſione Reſ. 20. ſ. 7. §. 3.* Quod maculis apparentibus, aut aliis ſimilibus excretionibus, dum dubia eſt naturæ victoria ob vitium in quanto, aut in quali ſanguinis, exercenda eſt miſſio, ut multi medici volunt, alii ſemper maculis apparentibus, alii ſolum ratione plenitudinis dicunt, ſanguinem eſſe mittendum, hac ratione admittenda eſt, dum ex hac excretione non ſperatur, morbum integre eſſe iudicandum, et tunc, ſiue id timeatur ob vitium in quanto, ſiue ob vitium in quali, S. M. exercendam, fatemur. *Sydenham in opuſculis* p. 207. caſus hos refert: D. Morrice medicinæ practicus Londinenſis laborat febre acuta cum effuſiſſimis ſudoribus et frequentibus petechiis, conſentientibus reliquis medicis, vena ſecta fuit, dein aeger ſurrexit e lecto, abſterſo primum ſudore, medicamentis et diaeta refrigerantibus vſus eſt praeſentiſſimo cum leuamine, multis malis atque periculoſis ſymptomatis mox difflatis: et, cum eidem methodo inſiſteret, intra paucos dies ſanitati reſtitutus eſt. Sic p. 249. narrat de famula quadam, quae morbillis vna cum febre, dyſpnoea, maculisque purpureis, corpus omne deturpantibus, aliisque ſymptomatis quam plurimis periculoſiſſimis laborabat, illa ſanguinis extractione et refrigerantibus reſtituta eſt. Horum autorum experientiam cum felici ſucceſſu ſemper ſum imitatus.

§. III.

## §. III.

Medici quidem Arabes [a] ſuo iam tempore venae ſectionem in variolarum principio approbauerunt; multi quidem in Italia, Hiſpania, Gallia et aliis regionibus hos ſequuti ſunt, [b] ſed ipſam potiſſimum in adultis et raro in infantibus adhibuerunt, admodum adhuc dubitantes, an tenerae aetati illa conueniret, eo igitur tempore incerti & timidi, in regionibus praeſertim frigidioribus, medici fuerunt; nam effatum Galeni obſtabat, qui in libro de venae ſectione, eius uſum ante decimum quartum annum inſtituendum, prohibuit. Hinc multi in verba magiſtri iurantes, maiori ex parte in eadem perſiſtebant ſententia. [c] Vsque dum *Sydenhamius*, vir multi nominis et ſingularis diligentiae et experientiae laude quam maxime conſpicuus, inuictis argumentis docuerit, venae ſectionem tuto in infantibus inſtitui poſſe. [d] Quocum etiam multi faciunt, vt *Drelincurtius*, [e] *Pitcairnius*, [f] *Sidobre*, [g] *Boerhaaue*, [h] et alii eam ſummopere commendantes.

a Praeſertim *Auicenna*, L. 1. tr. 4. c. 10. oportet, vt in variolis incipiatur, et extrahatur ſanguis ſufficienter, maxime ſi morbilli fuerint cum repletione ſanguinis. *Raſis* c. 6. venam ſecari, et ad animi deliquium ſanguinem detrahi, iubet. *Auerroes* L. 7. c. 3. probatae ſententiae aſtipulatur, *Abenzoar*que filio trium annorum ſanguinem minuiſſe, & a morte liberaſſe, recenſet.

b *Antonius Portus de variolis & morbillis* L. 4. c. 19. Si neceſſitas vrget, et morbus talis eſt, vt e medio patientem auferre queat, ſanguis omnino detrahendus eſt. *Amatus Luſitanus* Centuria 3. curat. 16. puero ſeptimum annum nato ſanguinem demit, quem ad quatuor vncias fluere permiſit. *Roderic. a Fonſeca* in Conſult. med. T. 1. conſ. 48. p. 321. & ſeq. Puerulo trium annorum boni habitus varioloſa febri correpto, cucurbitulis cum ſcarificatione cruribus et natibus appoſitis, ſanguinem ad vncias tres extraxit. Dein hirudinibus vncia vna ſanguinis adhuc eductus eſt. Item *in libro de febribus*, puero 7. annorum prima die ad vncias ſeptem, et ſecunda die iterum, licet iam variolae erumperent, ſine vitio ſanguinis miſſionem con-

uenire demonſtrauit. *Leonhardus Botallus* primus fuit, qui frequentem venae ſectionem apud Pariſienſes induxit, floruit circa A. C. 1584. Videatur *Renat. Moreau de V. S. in pleuritide.*

c *Alexander Maſſarias* palam faſſus eſt, ſe malle cum Galeno errare, quam recentioribus vera ſentire. Videatur *Lindenius* Renouatus.

d Neque eſt, cur quis miretur, me in teneris infantibus venae ſectionem inſtituendam ſuadere, cum ſanguis, quantum ego hactenus potuerim obſeruare, haud minus tuto ex eorum venis quam ex adultorum extrahatur. p. 248.

e Curatio variolarum etiam in pueris flagitante morbi magnitudine V. S. inchoanda erit. p. 294.

f Febricitantibus ſanguinem eſſe mittendum, etiam cum variolae iam eruperint, donec ceſſauerit febris. A. E. 1714. p. 482.

g Venae ſectio in adultis et infantibus bis, ter, quater, quinquies, imo et ſexies et octies, pro ſymptomatum ingruentium ratione iteranda erit. p. 203. *de variolis.*

h *Aphor.* 1394. S. M. eſt inſtituenda in variolis larga vsque ad animi deliquium, vt in pleuritide et peripneumonia.

## §. IIII.

Sed ſanguinem, inciſa vena, mitti, nouum non eſt; vt *Celſus* teſtatur. [a] Siquidem variae medicorum ſectae priſcis temporibus venae ſectionis remedium in perſanandis morbis admiſerunt, vt videre eſt ante Hippocratem in Empiricis, Methodicis et Dogmaticis. Ipſe quoque *Hippocrates* [b] ſanguinis miſſiones comprobauit, easque contra dolores et inflammationes in locis a parte affecta remotis inſtituendas eſſe, iudicauit. Sic in quodam aphoriſmo propoſuit, euacuationes vsque ad animi deliquium morbis ſæpe conducere; vbi nempe febres ardentiſſimae et dolores atrociſſimi corpora noſtra inuadunt. Huic ſententiae *Galenus* conſtanter in commentario ad eundem aphoriſmum inhaeſit, dicens, ab Hippocrate dictam eſſe menſuram euacuationis, et in maximis inflammationibus, et in adurentibus febribus, et vehementiſſimis doloribus. Dein variis in locis nos edocet, veteres medicos venae ſectioni

ſem-

ſemper multum tribuiſſe,c quia vnicum remedium fuit, quo celerrime phlegmonas curare potuerunt. Scripſit igitur contra Eraſiſtratum et ipſius diſcipulos, qui, omnes inflammationes ſola inedia euacuandas eſſe, cenſebant; praeſertim Galeni temporibus Romae tantopere eam abhorrebant, vt cum aliquando aeger quiſpiam propter plenitudinem iam praefocaretur, ne tum quidem hoc auxilio vti vellent. Quamobrem, nonnulli medici in ciuitate Romana degentes, cum multorum infelicem ſucceſſum exploraſſent, illi praecipue, qui mulieribus medebantur, venae ſectionem vſurpabant, dein multas mulieres, quae frigidiſſime ex niue potarant, ope ſanguinis miſſionis adeo incolumes ſeruauerunt, vt nec ſanguinem ſpuerent, nec pleuritide, peripneumonia aut angina vnquam corriperentur.

a L. 2. c. 10.

b *Hippocrates in operibus de oſſium natura* p. 276. Venae ſectiones procul a locis, in quibus dolores fieri, et ſanguis colligi ſolet, faciendae ſunt: In doloribus dorſi ſectiones venae fieri debent. p. 229. & 275. In doloribus capitis iuuat etiam ſanguis ex naribus aut ex vena frontis detractus. p. 516. In *aphor.* 23. *ſ.* 1. Atque vbi ad animi defectionem educere expedit, faciendum id quoque, ſi aeger par eſſe poſſit. *Galenus* hunc aphoriſmum explicans, inquit: oportet autem viribus integris atque valentibus tantam moliri euacuationem, et nos ſaepius huiuscemodi euacuationes prodeſſe plurimum, experientia didicimus. Nam et in ardentiſſimis febribus, ſi vsque ad animi defectionem ſanguis mittatur, ſtatim totius corporis habitus refrigeratur, et febris extinguitur, et plurimis etiam aluus citatur, et ſudores emanant, et quidam eorum ſanitati ſunt reſtituti, alii adiuti plurimum, vehementiam aegritudinis abſciderunt. In maximis vero doloribus nullum maius inueni remedium, quam vsque ad animi defectionem euacuare. *Hippocrates*, in pleuritide ex cubiti vena citiſſime ſanguinem copioſum detrahere, iubet. p. 387.

c In libro contra Eraſiſtratum eiusque ſectatores. In libro de venae ſectione, et in libris de methodo medendi. 4. 5. 9. & in multis aliis locis.

§. V.

§. V.

Aſclepiadis, Eraſiſtrati eiusque Sectatorum argumenta, quibus hoc remedium ab vſu medicinæ exterminare contendebant, nullius erant momenti, dum friuole putabant; 1. ex ſanguinis miſſione facile maiora, quam ex ipſo morbo, a quo exigitur, prouenire poſſe incommoda; interdum enim arteriam vel neruum pro vena ſcindi, vnde magnum periculum metuendum; 2. Multis animi deliquium accidere; 3. Alios ex irreparabili ſanguinis fluxu perire; 4. In quibusdam neceſſitatem & quantitatem euacuationis non ſufficienter poſſe commenſurari; 5. Cum ſanguine ſimul ſpiritus euacuari, unde animi deliquium & defectum concoctionis; 6. Saeuiora remedia ſemper vitanda eſſe, ſi ſecuriora ſufficiunt, S. M. autem per diaetam ſuppleri, ex qua nullum periculum timetur. Ex his rationibus inferebant S. M. non eſſe remedium a medico tuto adhibendum; Verum enim vero ad ea, quæ ex mente quorundam venae ſectioni obſtare videbantur, facili negotio reſponderi poterit. nam 1. quod ex incuria et ignorantia artificis oritur, illud remedio ipſi nequaquam adſcribendum erit, dum modo cheirurgus adſit peritus et huius rei non expers, nullum certe malum exinde erit extimeſcendum; 2. In inflammationibus animi deliquium nil nocet, ſed ad morbi curationem ſaepe eſt neceſſarium, caeterum per artem facile praecauetur, ne quid damni ſecum vehat, ſemper enim adſtant, qui remediis refocillantibus aegros ſuſcitant; 3. Tantum ſanguinis emittitur, quantum ad curationem morbi ſufficit; 4. Medicus peritus ſemper probabiliter intelliget neceſſitatem & quantitatem euacuationis; 5. ſtatim ſpiritus ſufficienter generantur, quando morbi vehementia minuta eſt; 6. Huic conſilio nunquam fidendum erit, quia non tam breui tempore, quam pro morbis magnis curandis requiritur, abundantes humores conſummuntur, qui alios aegrum, increſcente febris

bris

bris vehementia, facile e medio tollunt, antequam illi per inediam minuuntur.

a *Celſus* L. 3. c. 18. Aſclepiades perinde eſſe dixit, phreniticis ſanguinem mitti ac ſi trucidentur. *Caſp. Brauo in Reſ. Med.* de ſanguinis miſſione horum autorum ſententias refert, easque ſolide reſoluit.

## §. VI.

Interim *Celſus* Latinorum Hippocrates iam ante Galenum, de ſanguinis detractione per venas, multa egregia experimenta proponit, in quibus caſibus valde diuerſis optatiſſimi effectus ſequuti ſunt, hinc nunquam annos aegrorum numerat, ſed vires aeſtimat, & neceſſitatem vrgentem conſiderat, vbi hae adſunt, ibi aegris ſemper V. S. ſuccurrendum et aſſiſtendum eſſe, exiſtimat. a Arabes quoque et reliqui poſt hos artis medicae cultores S. M. ſemper in vſu habuerunt, vt iam ſupra monitum eſt. Donec *Helmontius* medicus idealis, ſuis deliriis adhaerens, et audaciſſime, vt ſolebat, in medicos rationales irruens, omnia remedia euacuantia ab vſu medicinae arcere contendit, his argumentis praeſertim nixus : Quia 1, ſanguinis abundantia nunquam nocere poteſt; 2. In ſanguine eſt ſedes animae et virium, nunquam autem nocet, vires habere validas; 3. Refrigeratio deſiderata citius conſequeretur aegrum alterando niue aut aere frigido, quam mittendo ſanguinem; 4. Hippocrates dixit, naturam eſſe curatricem morborum, non autem ſanguinis miſſionem; 5. Natura febrium curationem criſibus aggreditur, hinc febres plerumque ſudore finiuntur, S. M. turbat humorum motum, et eos in contrarias regiones mouet. 6. Natura ſuis viribus morbos vincit, S. M. autem eas debilitat, ergo nocet; 7. Hinc nec in principio, nec in augmento S. mittendus, quia febrilis calor debilis eſt, nec in ſtatu, quia natura turbatur et criſes impediuntur, nec in declinatione, quia morbus iam victus eſt; 8. Immo, in curatione inflammationum venae

nae ſectionem inutilem eſſe, affirmat, impudentiſſime enim gloriatur, ſe omnes pleuriticos ſine miſſione ſanguinis curaſſe. Sanguinis autem miſſiones pro febribus et inflammationibus curandis neceſſarias eſſe, peritus artis medicae non facile denegabit. b Propterea multi medici errores Helmontii damnoſos bene intellexerunt, eosque et ſufficientibus rationibus, et repetitis experimentis refutauerunt. Praeſertim haec praeſtitit *Caſpar Brauo*, qui, *experientia* inquit, *euentu probat, qua vulgares adhuc edocti ſunt, tot hominum millia a morte liberatos fuiſſe, a grauiſſimis febribus et earum accidentibus ſola ſanguinis miſſione debite exercita.* c Sic quoque contra Eraſiſtrati et Helmontii ſententiam in Academia Altdorfina *Mauricius Hoffmannus* diſputationem ſcripſit, in qua multis experimentis ſanguinis miſſionis necesſitatem demonſtrauit. Sed ſumma huius peruerſi dogmatis pernicies maxime *Bartholomaeo de Moor* innotuit, qui experimentis ſuis contrarium euidentisſime probauit. Praeter hos multi alii in ſcriptis ſuis, quos breuitatis cauſa ſilentio praeteribo, Helmontii audaciam confutauerunt.

a Celſus L. 2. c. 10. In pueris vero S. M. experiri et in ſenioribus, et in grauidis quoque mulieribus vetus non eſt. Siquidem antiqui, primam vltimamque aetatem ſuſtinere non poſſe hoc auxilii genus, iudicabant; perſuaſerantque ſibi, mulierem grauidam, quae ita curata eſſet, abortum eſſe facturam. Poſtea vero vſus oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum, aliasque potius obſeruationes adhibendas eſſe, ad quas dirigi curantis conſilium debeat. Intereſt enim, non quae aetas ſit, neque quid in corpore intus geratur, ſed quae vires ſint. At firmus puer et robuſtus ſenex et grauida mulier valens, tuto ſic curantur.

b De miſſione ſanguinis in pleuritide ſcripſit vberrime *Renatus Moreau*, qui demonſtrauit, qua corporis parte detractus ille fuerit a duobus annorum millibus ex omnium pene Medicorum, Graecorum, Latinorum, Arabum, Barbarorum, exacta enumeratione, iuxta temporum, quibus floruerunt, ſeriem inſtituta.

c Reſolut. Med. P. 3. diſput. 4. de febre humorali Sect. V. reſol. 4. §. 2.

4. §. 2. dicit: Sanguinis miſſionem vtilem eſſe pro febribus curandis, a nullo ſanae mentis denegandum.

d In oratione *de hypotheſibus medicis* p. 26. An perniciosior poteſt fingi ſententia, quam quae *Helmontius* ſtatuit, inflammationes omnes citra venae ſectionem, niſi conſuetudo aut plethora obſtiterint, ſolis incidentibus, tuto et cito reſoluentibus et ſudoriferis poſſe curari? Eſt haec methodus non curandi, ſed cito, certo ac multis anxietatibus oppreſſos enecandi miſeros aegrotos. An V. S. vires omnino imminuit? An V. S. torturae nomine donanda eſt? Ego ſum certiſſimus in Pleuritide, Peripneumonia, Angina V. S. praeſentiſſimam afferre opem, Ego ſum certiſſimus a V. S. neglecta vehementer torqueri anxios. V. S. neglectus plurimos merſit funere acerbo. V. S. neglectus non paucos prauis praeiudiciis tanquam victimas immolauit.

## §. VII.

Interim diffitendum non eſt, dari adhuc nonnullos, qui ſanguinis miſsionem in multis morbis improbant, praeſertim de eius felici vſu apud infantes valde dubitantes, hinc illam, ceu periculoſisſimam, diſſuadent, eamque plane abhorrent. Quapropter, hic paucis vtilitatem euacuationis ſanguineae in aetate infantili demonſtrare, mihi eſt animus, illam, conuenienti tempore largiter factam, intolerabiles ſaepe dolores in acutis infantum morbis lenire,[a] & ſic tuto adhiberi poſſe, in ſequentibus oſtenſurus.

a Vt *Sydenham* in dentitione difficili et tuſſi infantum conuulſiua demonſtrauit *in opuſculis* p. 248. et 349.

## §. VIII.

Si plurimas circumſtantias, quibus in caſibus venae ſectio cum fructu adhibetur, eiusque effectus, vt mutationes ſingulares, quas producit, diligenter perpendimus, ac ſimul ſtructuram et naturam infantilium corporum paulo penitius conſideramus, tunc ipſius rei veritate luculentisſime conuincemur, aperturas venarum in omnibus acutis infantum morbis valde proficuas, et ſumme neceſſarias eſſe;

praecipue vbi febris cum validiori impetu corpus tenerum inuadit, cuius viſcera per commotiones vehementiores facilius obſtruuntur ac deſtruuntur; ars autem medica aliis remediis his periculoſis ſymptomatibus ſufficienter reſiſtere ignorat. [a] Si itaque ſecuritati nimis hic indulgeamus, miſſionemque ſanguinis in vſum vocare haereamus, multi aegrotantium aut pereunt, aut aegerrime conſeruantur, et ſi forte priſtinae reſtituuntur ſanitati; fortunae potius, quam medicamentis erit adſcribendum.

a In principio morbi V. S. debet neceſſario celebrari, quia ut plurimum, in progreſſu et vigente ſuppuratione, impoſſibilis eſt. *Sidobre de variolis* cap. 14. *Drelincurtius de variolis* §. 22.

## §. VIIII.

Venae ſectionem autem ſecundum principia mechanica maxime celebrandam eſſe, practici in ſequentibus ſtatuunt caſibus. [a] Si 1. corpus ſuccis repletum motus febrilis aggreditur, qui rarefactionem et expanſionem humorum gignit, vnde partes carnoſae intumeſcentes liberam humorum circulationem turbant atque impediunt, ita, vt ſtaſis vniuerſalis humorum et ſuffocatio metuenda ſit, dum elaſticitas vaſorum arterioſorum nimis repletorum minuitur. 2. Vbi ſanguis adeſt valde denſus, compactus et purpureus, qui e vena maiori miſſus cito concreſcit ac coagulatur, aut ſi ſanguis a maiori motu praegreſſo excitatus, exſiccatus et inflammatus exiſtit, ex quo ſubitaneae obſtructiones, phlegmonae viſcerum et alia ſanatu difficilia mala proficiſcuntur. 3. Inprimis eius vſum in iſtis morbis laudant, in quibus iam obſtructiones, a laeſionibus aliquarum partium factae, cum motu aucto deprehenduntur, quae facili negotio ex dolore acuto et perpetuo, tumore, rubore, anxietate et motu febrili diiudicantur. Item in fortiori humorum motu et calore nimis aucto maxime prodeſt, quia alias his efficitur, vt humiditates ſubtiles cito expellantur, inde ſanguis euadit inflammatorius, et exanthemata varia proueniunt, quae praeſertim viſceribus internis pernicioſa mala infe-

fe-

ferunt. 5. Quando impetus ſanguinis in partes nobiliores ſe magis diffundit, ibique ſtagnationes humorum, compreſſiones vaſorum minimorum, dolores capitis, anxietates, ſtuporem ſenſuum, haemorrhagias, lacrymarum fluxum et alia grauiora ſymptomata excitat. 6. Maxime conducit, ſi contagium regnat, quod in corpore tales effectus, vt febres ardentes et Synochae putridae, generat, eiusmodi generis ſunt inflammatio partium nobilium, delirium, anxietas, inquietudo magna, ſecretiones ſuppreſſae, peruigilium etc. 7. Si aetas iam adeſt, in qua vaſa venoſa turgent, vt facile aperiri poſſint; corpus gaudet temperamento cholerico aut ſanguineo, et ſimul diaeta lauta fruitur, a qua ſanguis ſubtilis et mox mobilis naſcitur, et ille iam a contagio maligno ſuſcepto, praeſertim verno tempore, vehementi motu agitatur. [b] 8. Vbi ſtudendum eſt, vt ingreſſus medicamentorum in ſanguinem facilior fiat, euacuatio inſtituenda erit, vt remediis ſpatium concedatur, elaſticitas vaſorum augeatur, commixtio cum reliquo ſanguine peragatur, et ita ille alteretur ac emendetur.

a *Boerhaauius in* §. *1229. Inſtit. medicarum et ſeq.* conſulendus eſt. *Sidobre de variolis* c. 14. Humorum enim expanſio exigit, vt ſanguis larga manu mittatur, ne per ſtrictos partium poros circulando viam ſibi ipſi praecludat, et exitioſam pariat inflammationem, ſanguis vt vitae, ſic plerumque mortis auctor eſt.

*Bellini de ſanguinis miſſione.* propoſ. 6. Vena in omni morbo ſecanda, in quo aut minuenda quantitas, aut augenda velocitas ſanguinis, aut refrigerandum, aut humectandum, aut aliquid haerens vaſis dimouendum atque abripiendum, aut danda occaſio particulis, ex quibus ſanguis componitur, vt intimae dimoueantur, et ipſum ſanguinem mutent.

*Galeno* etiam in vulneribus ſanguinem eſſe mittendum placuit: tum quia nullum praeſtantius leuando dolori inueniatur, tum quia ſanguinis euacuatione imminens impendensque morbus et inflammatio euitetur. Vt quoque probat *Io. Franc. Rota de vulneribus* p. 56.

*Hippocrates* et *Galenus*, tria momenta eſſe, dixerunt, quae dignotionem mittendi ſanguinem continent, vt morbi magnitudo aut praeſens, aut imminens, aetas vigens et robur virium.

Nulla aetas per ſe V. S. indicat, in pueris et ſenibus ſanguinem mittimus, ſi morbus magnus expectatur, ſanguinis miſſio debet exerceri. Praeſertim adoleſcentia et iuuentus eam cum maxima ſecuritate tolerare poſſunt, ut autoritate et multis rationibus probauit *Brauo in Reſol. Med. de miſſione ſanguinis*. *Augenius de venae ſectione* hanc ſententiam firmiter ſuſtinet, venae ſectionem a morbi magnitudine, aut ex motu, aut ex plenitudine oriunda, perpetuo indicari. Nulla aetas per ſe V. S. indicat, ſi morbus magnus adeſt, S. M. omnino debet exerceri.

b *Sydenham de febre continua* p. 68. et p. 81. Iuuenes atque vegeto calore praediti venae ſectiones ſine multo diſcrimine admittunt.

## §. X.

Venae ſectio in morbis acutis eximios et valde ſalutares effectus producit; a dum 1. humores in corpore abundantes et iam valde commotos imminuit, hinc quantitas vitioſorum humorum et contagii, ſanguini communicati, ſimul euacuatur, et ſic ille ſanguis per corpus adhuc fluens facilius emendatur; 2. Reliqua corporis liquida liberius mouentur, reſoluuntur, attenuantur, et ab ingeſtis remediis exacte diluuntur b abſterguntur et corriguntur. 3. Vaſa nimis inflata ac turgida deplet, eorum ruptionem impedit, fluxiones ac haemorrhagias praecauet, congeſtiones humorum ac inflammationes c arcet, contractiones vaſorum, antea a repletione et rarefactione debilitatas, reſtituit, d coctiones, ſolutiones et ſubactiones crudorum ac ſtimulantium efficit. 4. Liquida ſanguinis denſa, compacta et compreſſa rarefacit, humores ſubtiles et fluxiles reddit, e dum moles mouendorum minuta, et elaſticitas vaſorum aucta eſt, ſic globuli ſanguinis maiores motu arteriarum ſyſtolico facile in minores diuiduntur, obices obſtruentes hac ratione attenuantur et reſoluuntur; vnde multi morbi acuti ſanantur, et alia incommoda longe grauiora, ex iis prouenientia, euitantur. 5. Vaſa ſecretoria, a maioribus antea diſtentis preſſa, iam ſunt liberiora, circuitus humorum magis magisque per ea promptius expediuntur; ſecretiones exactius peraguntur, impuritates felicius

 licius

licius excernuntur, [f] et foras propelluntur: propterea morbis cutaneis venarum apertio maxime conducit. Multiplici quoque experientia tam aliena, quam propria compertum habemus, poſt venae ſectiones reiteratas exanthemata quidem febrilia multo citius ac tutius erumpere; attamen valde diſperſa et diſtincta apparere, puſtulasque, exinde factas, paruas inurere cicatrices. 6. Sanguinem cum impetu in partes nobiliores delatum revellit, eumque magis in extrema deriuat, ibique ſecretiones promouet. Facta enim venae ſectione in pede aut brachio, ſanguis celerius et velocius ad corporis [g] peripheriam fluit, quia tunc copia mouendorum minuta, et ſic reſiſtentia reliquorum eſt minor, cor ſine impedimento ſanguinem cum fortiori contractione in arterias protrudit, quae dein, virtute elaſtica aucta, ſe reſtituunt et humores acceptos in minima vaſa ſecretoria feliciter mittunt. Hinc viſcera, ſanguine obruta, alleuantur, ſuasque functiones liberius obire posſunt, dum ſanguis, interne copioſe haerens, a centro per totum corpus circumfertur; Si itaque cerebrum per ſanguinem compreſſum eſt, illud iterum venae ſectione larga, in pedibus et brachiis inſtituta, a compreſſione liberatur, et ſanguis a capite in partes inferiores defluit et diuiditur. 7. Aeſtum ſanguinis mitigat et compeſcit, [h] anxietates lenit, inquietudines diſcutit, hominesque hilares ac alacres reddit, vires ſuppreſſas, atque aegrotos a morbo acuto et ſanguine expanſo debilitatos, roborat atque confirmat; quia omnis compreſſio vaſorum aufertur, ſanguis fit fluidior, et ſpiritus in cerebro felicius ſecernuntur, adeo, vt iamiam per omnes corporis partes ſine impedimento tansfluere poſſint.

a Conferatur *Boerhaaue* §. 1228. *Inſtit. Medic.*

b Videatur *Dexterrimi Hambergeri diſſertatio de venae ſectione* praeſertim §. 16.

c *Sidobre de variolis* c. 14. p. 204.

d *Laurentius Bellini de miſſione ſanguinis* propoſ. 3. Pulſus, inquit, antea ſuppreſſus, intermittens, aut quomodo libet inaequalis per

ſolam

ſolam miſſionem ſanguinis, et ipſo ſtatim tempore, quo celebratur, excitari, aut ad naturalem ordinem redigi. - - - Qui ab infartu et repletione vaſorum proueniebat.

e *Laurentius Bellini* l. c. item propoſ. 5. et 6.

f *Sidobre* c. 14. Variolarum, aliorumue prauorum ſuccorum ſecretionem promouet. - - - Deinde ſcabiei, eryſipelati, aliisque morbis cutaneis multum opitulatur venae ſectio; etc.

g *Sidobre de variolis* c. 14. Venae ſectione, opportune facta, in Peripneumonia maius praeſidium nullum eſt, quoniam ſanguinem a centro ad circumferentiam deriuat.

h *Laurentius Bellini* l. c. propoſ. 6. Saepe omnia haec ſymptomata a copia ſanguinis dependent. Videatur *Drelincurtius* §. 22. *Boerhaaue de debilitate febrili Aphor.* 665. et 666.

## §. XI.

Ipſa conſtitutionis corporum infantilium contemplatio nos docet, in aetate puerili vt plurimum corpora ſucculenta, vaſis repleta et humidis turgida exiſtere; nam in pueris numerus vaſorum ſemper eſt maior, quam in adultis, hinc copia ſuccorum in corpore infantis, copiam humorum in corpore adulti, longe ſuperat. [a] Contra vero in adulto partium ſolidarum moles aucta eſt, quia iam multa innumerabilia vaſa concreta ſunt in naturam ſolidi, vnde robuſtis et ſiccis gaudent partibus. Puerorum autem corpora et membra flexilia, mollia et humidis referta ſunt, hinc illa ſaepe ſuccis obruta erunt, vt effectus morborum clare nos docent. Siquidem infantes bene ſe habentes, alimenta auide cupiunt, atque frequenter ingerunt, ex quibus aſſumtis alimentoſis naturalis eorum diſpoſitio copioſum ſanguinem conficit.

a Maxime pertractatio *Boerhaauii de nutritione* eſt legenda. §. 434. et ſequent.

## §. XII.

Humores abundantes et ſani, in motu temperato conſeruati, non facile aliquod detrimentum tenerae machinae inferunt, [a] quia corpus adhuc augmentum capiens, illos

pau-

paulatim conſumit. Quando autem infantes ſanguinei et plethorici motibus febrilibus et contagiis malignis corripiuntur, et tunc eorum corpora ſuccis repleta in vitae diſcrimen veniunt, quia humorum rarefactio et vaſorum expanſio ex commotione ſanguinis nimia ſuboriuntur, quae breui obſtructiones viſcerum et inflammationes efficiunt, morbo quippe grauiori accedente, tenerrima haec corpora ruptioni et deſtructioni vaſorum facile obnoxia ſunt. Praeterea ſanguis infantum plerumque eſt volatilior, quod ex florente facie et intellectus facultatibus haud obſcure intelligitur; immo ipſi morborum effectus ſatis ſuperque teſtantur, bonam diſpoſitionem corporis vehementiam febrilem ſemper auxiſſe, et ſaepiſſime ſero medicinam fuiſſe paratam. Simul circulatio ſanguinis in infantibus alacrioris ingenii naturaliter eſt velocior, quam in adultis, quae dein per aliquam mutationem in violentiorem motum, minima deſtruentem, degenerat.

a Videatur *diſputatio* noſtra *de plethora*, in qua prolixius de hac materia actum eſt.

## §. XIII.

Ipſi effectus, acutos infantum morbos concomitantes, ſaepe valde atroces ſunt, citamque opem poſcunt, vt ſunt impetus ſanguinis inflammati verſus caput et viſcera interna, qui effectus mox his ſymptomatibus ſe produnt, a vt immanis capitis dolor cum angore totius corporis aegrotantes torquet, facies rubet et tumet, ſenſus hebeſcunt, oculi rigent cum lacrimis profluentibus, et conuulſiuo motu agitantur, non vident nec audiunt, interdum dentibus ſtrident, et ob ſummam anxietatem ſine vlla reflexione mentis corpus hinc inde iactant, perdurante vehementia, delirio, lethargo, tendinum ſubſultu, phrenitide et tandem conuulſiuis motibus totius corporis corripiuntur. Aſt ſi adhuc ſenſibus praediti ſunt, de anxietate, dolore lancinante ſub ſcrobiculo cordis et atrociſſimo lumborum

cruciatu conqueruntur, cito aerem hauriunt ad ſanguinis aeſtum mitigandum, et circulationem per pulmones promouendam; b hinc ſenſim ſitis inexplebilis, angina, peripneumonia, pleuritis et aliae inflammationes ſuboriuntur. Morbi quoque magnitudo interdum ſanguinem per vaſa anaſtomoſi et diaereſi protrudit, qui ſaepe felici ſucceſſu e naribus largiter erumpit; vel in bronchia pulmonum exprimitur, vel per aluum et renes cum excretis, non ſine fatali euentu, euacuatur. c

a Hiſtoriae variolarum et morbillorum *Sydenhamii* ſunt legendae. Item conferatur *Sidobre de variolis* c. 9.

b Quia fauces exſiccantur, circuitus humorum retardantur et impediuntur. Videatur *Sidobre* l. c. p. 128.

c *Sidobre* c. 3. Interdum ſanguis per vaſa adnatae oculorum tunicae erumpit; qua haemorrhagia fere ſemper occumbunt, quantumuis efficaciora exhibeantur remedia. *Sydenham* in opuſculis p. 174. et 443. ait: Mictus ſanguineus et haemoptyſis in variolis mortem praenunciant.

## §. XIIII.

Quae effecta certiſſime ab inclementia febrili proueniunt, et infantibus ſemper, ſi apud hos talia obſeruentur, truculentiſſimos cruciatus, immo ipſum vitae periculum praenunciant, ſiquidem motus vehementior per vaſa molliſſima cerebri difflationem, compreſſionem et diſruptionem vaſorum efficit, vnde humorum effuſio in cerebri ſubſtantiam, cuius vi officina ſpirituum deſtruitur; hinc lethargus, coma, carus et apoplexia, a arte medica non ſuperanda, cerebri compreſſionem ſequuntur. b Eiusmodi ſymptomata in variolis malignis et morbillis contagioſis infantum frequentisſime animaduertuntur, quae tamen in initio diuina ope per venae ſectionis remedium, nunquam ſatis laudandum, aliquoties reiteratum, teſte experientia, optima rerum magiſtra, certe praecauentur et curantur.

a *Sidobre* l. c. p. 103. Vidimus enim in apertione cadauerum, raptu

ptu ſanguinis ad cerebrum defunctorum, cerebri vaſa multo ſanguine fuiſſe diſtenta et aliquando diſrupta, totamque cerebri molem ſanguine obrutam.

b *Celſus* L. 2. c. 10. *Si nullum tamen appareat aliud auxilium, periturusque ſit, qui laborat, niſi temeraria quoque via fuerit adiutus, in hoc ſtatu boni medici eſt oſtendere, quam nulla ſpes ſine ſanguinis detractione ſit.*

## §. XV.

Quod autem infantili aetati V. S. conueniat, tam a priori, quam a poſteriori euidentisſime poſſumus demonſtrare, ſi modo armatis veterum praeiudiciis non ſimus circumſepti: febres enim infantum acutae haud raro ita ſunt comparatae, vt auxilium ne ad momentum quidem differre debeat, V. S. igitur perquam neceſſaria indicatur, quae cito opem praeſtare valet. Nam quoniam eaedem circumſtantiae in tenerrimis infantibus deprehenduntur, quae in adultis, vbi in conſilium V. S. vocamus, in illis quoque, vt in his, obſtructiones, inflammationes facile gangraeneſcentes et deſtructiones totius machinae producunt, niſi fortuito per naturam impetus ſanguinis in arterias narium cogitur, ibique eas dilatando perrumpit, ex quibus dein ſanguis copioſe cum ſymptomatum leuamine fluit, quae certe valde ſalutaris nominanda eſt haemorrhagia. Alias ſi in partes internas cum impetu ſanguis ruit, febris triſtisſimo euentu plerumque finitur.

## §. XVI.

Euacuationes ſanguinis in his morbis inſtituendas eſſe, natura ipſa ſufficienter nos edocet; ſic multis ſtillicidium ſanguinis e naribus cum felici ſucceſſu contigit, vt experientia teſtatur; dum, ſanguine imminuto, ſemper febris remiſit, ac pauciora exanthemata in cute effloruerunt, quae vix maculas reliquerunt, ex quibus aliquis certe iudicare potuerit, hunc vel illum variolis laboraſſe. Ita *Augenius* b affirmat, ſe duos pueros vidiſſe, qui ob ſanguinis

fluorem e naribus a febre ſint liberati, et paucioribus conflictati variolis, quae quarta die exierint, et aegrotos clementer tractarint. *Grülingius* de puella vnius tantum anni refert, quod tertio die morbi in tergo ipſius tres variolae iam eruptae fuerint, ſuperueniente autem haemorrhagia narium, eaque finita, infantulus penitus conualuerit. [c] Ex hisce caſibus et innumeris aliis Practicorum clare intelligitur, euacuationes ſanguinis in omnibus acutis infantum morbis perutiles eſſe. Cur enim nolumus naturam imitari? ſi ipſa non critice euacuationem inſtituit, ſane ea non demum a natura expectanda eſt, ſed nulla interpoſita mora, ſtatim poſt morbi initia euacuatio fieri debet, cur infantes hoc auxilio defraudandi ſint? non video. Certe nulla obſtat ratio, quo minus venae ſectio in infantibus tuto adhiberi poſſit. Cum quotidie pueros videmus, vel ab alto lapſos, vel aliquo ſolutae vnitatis genere affectos, dum aliquorum vaſorum aperturae factae copioſum ſanguinem fundunt, vel ſponte ſanguis e naribus abunde profluit, ſine vllo vitae diſpendio, et ſine magno quopiam malo. [d]

a *Drelincurtius de variolis* §. 22.
b In tractatu de miſſione ſanguinis.
c Centuria 1. obſeruationum medicinalium, obſeruatio 89.
d *Leonhardus Botallus de vulneribus*. c. 9.

## §. XVII.

Sunt quidem nonnulli, qui putant, V. S. in morbis exanthematicis repellere, ſed Practicorum obſeruationes ſaepe repetitae contrarium ſatis probant, vſum venae ſectionis in eiusmodi morbis mirifice laudantes. [a] Dum potius poſt euacuationem ſanguinis ſpatium datur, quo ſecretio in cute cum remiſſione grauiorum ſymptomatum liberius exiſtat, vt ſupra demonſtratum eſt, §. 10. n. 6. Alii iterum dicunt, hoc remedium quidem in calidis regionibus tuto locum habere, ſed in noſtris et reliquis borealibus

bus regionibus damnum inferre, quod verum eſt, ſi phlebotomia in conuenienti tempore adhibetur, et in regionibus frigidis ſaepius ea abutuntur, quam in calidis; quando autem vehementia morbi adeſt, ex qua deſtructio machinae metuenda erit, ſemper et vbique, licet in frigidisſimis ſit terrae plagis, [b] apertura venarum in auxilium eſt vocanda, vsque dum morbus ita iam fuerit mitigatus, vt aeger illum ſine detrimento ſanitatis ſuſtinere valeat. Alii ſanguinis miſſionem eam ob cauſam admittere nolunt, quia infantes per ſe admodum eſſent debiles, et ſic per eandem viribus non parum priuarentur. Aſt euacuatio ſanguinis, in morbis acutis inſtituta, non debiles, ſed fortiores et alacriores infantes reddit, vt multoties in praxi vidi. Aetas iuuenilis eam facile fert, praeſertim vbi habitus corporis firmus et abundantia ſanguinis adſunt. Certe ſemper praedicere poſſum, ſi ad infantem, morbo acuto laborantem, ante tertium diem deuenio, qui viribus proſtratis miſere iam iacet, non aliter ac ſi animam efflare vellet, eum omnino reſtitutum, et vires recuperatum iri, ſi modo ſufficiens ſanguinis quantitas emitteretur, quale paradoxon apud vulgum? attamen vires hoc modo refocillantur, vt ſaepiſſime in infantibus obſeruatum eſt, haemorrhagias narium largiter factas, morbi ferocitatem mirum in modum placare; dum debilitas a rarefactione humorum, et vaſorum minimorum compreſſione dependet, euacuatio eſt conuenientiſſima, eaque peracta, omnia ſymptomata remittunt, infans fit agilior et alacrior, dein quoque exanthemata pauca et diſtincta prodeunt, ſic ars ſalutaris potens eſt ex malignis venientibus benignas producere variolas. Propterea omnibus, quibus vita et ſanitas corporis humani curae cordique eſt, miſſionem ſanguinis in febribus exanthematicis infantum curandis, etiam atque etiam ſuadeo ac commendo, praeſertim quando illae cum aliquali vehementia corpora tenera inuadunt, tunc ea interdum bis, ter quaterque larga manu iteranda erit, donec ſymptomatum ingruentium vis ſatis temperata fuerit.

a *Minadous* l. c. c. 22. Eos toto errare caelo, dicentes, venae ſectionem humores ad intra reuocare. Nullibi a Graecis medicis hoc dictum inuenietur, ſed ex locis Galeni clare colligitur venae ſectionem ad extra ab alto, et ad extima, non ad intima trahere. *Sidobre de variolis* c. 14. Poſt venae ſectionem qui prior fluit ſanguis, proxime ſequenti minori eſt impedimento, inde a corde riuus vberior deducitur, partes internae ſanguine oppreſſae alleuantur, et ſuam functionem liberius obeunt.

b *Celſus* L. 2. c. 10. bene monuit, *dicens:* Mittere autem ſanguinem cum ſit expeditiſſimum, vſum habenti; tamen ignaro difficillimum eſt.

c *Celſus* l. c. Firmus puer tuto ſic curatur. *Caſp. Brauo in Reſol. Medicis de ſanguinis miſſione*, ait: Experientia docet, pueros, ſi validi ſint, melius ferre ſanguinis miſſionem, quam inualidi iuuenes.

## §. XVIII.

Nam natura ex parte onere ſuo leuata, reliquum ſanguinem infectum audentius aggreditur, maiorique robore aut vitioſam congeriem ad ignobiliores partes detrudit, aut ſanguinem inflammatum iterum reſoluit et attenuat, vt paucae aut nullae variolae proueniant, et non arti repugnat, morbum varioloſum ſine variolis finiri, quia tunc inflammatio ſanguinis a contagio generata, ſine alio morbo iterum reſoluta eſt, [a] i. e. ſine vlla ſuppuratione ſubſequente, quae ſemper in partibus nobilioribus praecauenda eſt, vti in reliquis inflammationibus viſcerum internis; et certe illa in hoc morbo valde metuenda eſt. Siquidem non ſolum in vaſis capillaribus partium externarum variolae haerent, ſed omnes etiam ſuperficies viſcerum et reliquarum partium internarum puſtulis ſcatent, ex quibus alii morbi periculoſi generantur, vt Practici in obſeruationibus ſuis abunde annotarunt. [b]

a *Boerhaaue in Aphor.* 401. dicit: Semper in omni morbo inflammatorio reſolutionem eſſe quaerendam, quae ſanatio perfecta; quae ſine criſi. Et in *Aphor.* 1393. Methodus vniuerſalis in variolis videtur hic adhiberi poſſe et experimentis perfici deberet,

re, illa, quae deprehenſa eſt in omni inflammatorio valere, ne inflammatio in pus gangraenamue abeat; quum in aliis omnibus ſuccedat, hic nil repugnet, morbus varioloſus ſaepe ſine variolis ſit.

b *Sidobre de variolis* c. 10. Vniuerſam cutem, linguam, palatum, totamque gulam non ſolum occupant exanthemata puſtuloſa, ſed etiam interiores partes ſordidiſſimis papulis ſcatent.

§. XVIIII.

Copioſae autem partium internarum efflorefcentiae venae ſectionibus repetitis et cura antiphlogiſtica ſine omni dubio imminuuntur, quia ſanguis vberior in extrema deducitur, et ita viſcera a futuris malis liberantur. a Sed virium hic nulla habenda eſt ratio, quando enim febris vehemens accenſa ſaeuit, et ſymptomata inualeſcunt, tuto inſtituenda erit. Experientia quippe multoties docuit, omnem morbi vehementiam a ſanguine dependiſſe. Propterea magna humorum commotio ac rarefactio, et vaſorum expanſio euacuationem citam atque largam omni tempore requirunt, ne per ſtrictos et compreſſos partium poros circulationi via praecludatur, et exitioſa ſequatur inflammatio. Sanguinis quidem aequalis et temperatus circuitus eſt optima ſanitatis cauſſa, ſanguis autem rarefactus et nimis commotus plerumque mortis auctor eſt. Vires ergo in acutis per S. M. non infirmantur, ſed potius reſtaurantur; quum nempe antea vaſa minima a turgeſcentia ſanguinis erant compreſſa, neceſſario ſumma debilitas tanquam effectus eandem excipiebat, illis vero iam relaxatis, ſecretio ſpirituum bene peragitur, vires invaleſcunt. Impuritates humorum ab internis in partes externas vberius deriuantur, et infantes priſtino ſanitatis flori ac nitori mox reſtituuntur. Huiusce praxeos vtilitatem multis teſtimoniis medicorum fama ac eruditione inſignium confirmatam non modo apud illos legi ac relegi; verum etiam ipſa experientia didici, rem ita ſe habere, ceu ab illis antea eram edoctus. Ex quo enim, mihi ad morbos curandos

patuit aditus, multoties obſeruaui, infantes varioloſo morbo laborantes, vbi ſecuritati et praeiudiciis parentum indulſi, acerrime cruciatos fuiſſe, et aegerrime conualuiſſe; ipſos vero in quibus ſanguinis miſſio ac ſimul remedia antiphlogiſtica diligenter applicata ſunt, variolas benignas paſſos, et feliciter ſanatos eſſe.

a *Leonhardi Botalli verba ſunt:* Pueri a quadriennio vel triennio ſupra, ſi morbus requirat, et habitus conſentiat, phlebotomandi ſunt. - - - Ego quidem annales, biennes, triennes et ſuper hos plures, et vidi, et feliciter curaui, quibus exemplis motus, vbi morbus indicaret, ac habitudo non repugnaret, quandoque venam ſecare pueris non dubitaui, tum in vulneribus, tum in magnis plegmonibus, magnisque febribus atque cum bono ſucceſſu. *de vulneribus* p. 22. et ſeq. *Caſp. Brauo in Reſolut. Med. P. 4. S. 5. Reſol. 6.* Venae ſectionem pueris non contraindicare, autoritate et experientia multorum non ſolum probat, ſed etiam ſequentibus ratiociniis, ex praxi deſumtis, neceſſitatem venae ſectionis demonſtrat. 1. Illud nempe remedium, quod experientia comprobatum eſt, pluribus prodeſſe, et a magnis liberaſſe morbis, exercendum eſt: ſed pueris paruulisque infantibus plurimum prodeſſe, docuit experientia: Tum noſtris temporibus, in quibus ex continuo vſu huius remedii in pueris id quotidie experimur, tum inter Veteres, qui quoque iam ſanciuerunt, pueros morbo graui oppreſſos, phlebotomandos, vt Arabes docuerunt. 2. Morbus magnus in pueris, pendens ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate aut motu, indicat remedium magnum proportionatum pro curatione morbi et pro euacuatione cauſae, a qua dependet. Si vires ſint validae, corporis habitus firmus, venae amplae, ſanguinis redundantia, morbus ex eius vitio ortus lethalis, inhumanum eſt morbum non curare, et aegrum certae deſperationi relinquere: ergo ſanguinis miſſio ratione aetatis non debet prohiberi.

b *Sidobre de variolis* c. 13. p. 208. Non mirum, *inquit*, ſi variolae tantum aegrotantibus olim intulerint noxam, cum plerique Practici non ſolum venae ſectionem, ſed etiam enemata in variolis culparint.

## §. XX.

Quando autem vires infantum adhuc nimis imbecilles

les videntur, vt in recens natis, quorum corpus ſemper laxum et molle eſt, in his vt plurimum febris non valida exiſtit, nec ſymptomata ſaevitiem exercent, cura ſolis refrigerantibus inſtitui poteſt; praeſertim ſi pueri ſimul lacte nutricis adhuc fruuntur, tunc in prima morbi inuaſione cura antiphlogiſtica interne et externe diligenter adhibita iis ſuccurri poterit. Interim ſi febris ſuſpecta fieret, et alia atrocia ſymptomata venae ſectionem requirerent, ea autem propter aetatem tenellam et venarum teneritudinem inſtitui non poſſet; tunc cucurbitulis ſacrificatis in locis carnoſis et tumidis ſanguis copioſus extrahendus erit, num hac quoque ratione materia febrilis ab internis partibus ad corporis peripheriam deriuatur. a

a *Roderic. a Fonſeca in Conſult. Med.* T. 1. Conſul. 47. p. 324. *Drelincurtius de variolis* §. 22. in fine.

## §. XXI.

Haec itaque ſunt, B. L., quae hic tangere volupe erat, multa quidem de inſigni huius remedii vtilitate dicenda, adhuc reſtare, lubentiſſime fateor; ſed ſcopus non eſt fuſiſſime haec deducere, iccirco ſermonis filum iam abrumpo, in generalioribus modo perſtiturus. Interim tamen, hoc praefamen generale multis ad ſingularium caſuum curationem viam ſatis tutam parare poſſe, ſum certiſſimus. Fauente Deo, et dato tempore occaſio erit, haec omnia, quorum hactenus primas ſaltem lineas duxi, vberius expoſita in lucem mittendi.

## §. XXII.

Sed ad id, quod animum inprimis induxi, reuertor, SERENISSIMIS SAXONIAE PRINCIPIBVS ERNESTINEAE LINEAE, Academiae huius Salanae NVTRITORIBVS CLEMENTISSIMIS, hic publice humillimas perſoluturus grates, quod mihi prouinciam artem medicam publice et priuatim docendi conferre clementiſſime vo-

luerint. Seruet Deus Ter Optimus Maximus CELSISSIMOS DOMVS SAXONICAE DVCES, vt ſub Eorum Regimine, felicitas ciuium et haec noſtra Salana magis magisque florere ac vigere poſſit.

§. XXIII.

Verum, vt ſpartam meam, quam ſum nactus, rite exornem, ratio iam poſtulat, vt, antequam dicendi finem faciam, Honoratisſimis atque Nobilisſimis Cultoribus A. M. Scholas meas publicas, proximis Mercurii et Saturni diebus habendas, indicem. Et quoniam de venae ſectionis remedio diſſerere incepi, ita animus eſt, docendo pergere huius remedii heroici ſingulares vſus in acutiſſimis morborum generibus publice explicare, hiſtoriam inflammationum frequentisſime in communi vita occurrentium generalem dilucide tradere, earumqee varios exitus vel ope naturae vel artis productos, et inſanitatem, aut in alium morbum, aut in mortem tendentes exponere, quae omnia ſpecialibus caſibus phlegmonarum illuſtrabo, huic labori hora tertia poſt meridiem eſt deſtinata. Ad huius collegii Praelectiones audiendas omnes atque ſingulos bonarum artium Studioſos, ea, qua par eſt humanitate, inuito. Quod ad me attinet, in id ſemper enitar, vt veritates perſpicue et ſine omni fuco proponantur, et inuictis argumentis demonſtrentur. Quod reliquum eſt, *Deum Benigniſſimum* ſupplex veneror, vt ſtudiis meis in ſalutem ſtudioſae iuuentutis ſuſceptis paterne benedicat, et in ipſius gloriam, rei medicae incrementum ſalutemque publicam pergere iubeat, cui ſoli ſit laus
et gloria.

o)[o](o